

Christum; tamen inconcussè tenere debemus, ut sciãmus, eum, qui hoc negaverit, nullo modo ad Christi fidem & ad eam, quæ per Christum datur pusillis & magnis, Dei gratiam pertinere. Unde si origo animæ lateat, dum tamen redemptio clareat, periculum non est. Neque enim in Christum credimus, ut nascamur; sed ut renascamur, quemodocunq; nati fuerimus.

Hactenus autem dicimus sine periculo latere animæ originem, ut non tamen eam partem Dei esse credamus; sed creaturam: nec de Deo natam; sed ab illo factam, atque in ejus genus adoptandam mirabili dignatione gratiæ, non parili dignitate naturæ: nec eam corpus esse; sed spiritum: non Creatorem utique, sed * creatum: nec ideo venisse in hoc corpus corruptibile, quo gravatur, quòd illuc eam vitæ in cœlestibus vel in quibuslibet aliis partibus mundi antea * malè gestæ merita compulerint: nondum enim natos Apostolus, cum de Rebeckæ geminis loqueretur, nihil egisse dicit boni vel mali, ut non ex operibus, quibus nullus alter distinguebatur ab altero; sed ex vocante diceretur, minori servitutum esse majorem. His igitur firmissimè constitutis, si tam reconditum atque abditum est in occultis operibus Dei, ut nec Scripturarum divinarum manifesto eloquio declaretur, utrum propterea nihil boni vel mali nondum nati egisse credendi sint, quia, non ex aliis propagatos, sed mox ex nihilo creatas animas singuli accipiunt; an quia, cum essent originaliter in parentibus, adhuc ipsi nulli erant, qui suas & proprias vitas agerent: illa tamen fit fides salva, quã credimus, nullum hominum, sive majoris, sive parvulæ quàm libet & recentis ætatis, liberari à contagione mortis antiquæ & obligatione peccati, quod primã nativitate contraxit; nisi per unũ Mediatorem Dei & hominum, Christum Jesum, cujus hominis ejusdemq; Dei saluberrimã fidem, etiam illi justis facti sunt, qui, priusquam veniret in carne, crediderunt in carne venturã. Eadem namq; fides est & nostra, & illorum: quoniam hoc illi crediderunt futurũ, quod nos credimus factũ. Unde dicit Apostolus Paulus: *Habentes autem eundem Spiritum fidei, secundum quod scriptum est: Credidi: propter quod locutus sum: & nos credimus: propter quod & loquimur.* Si ergo eundem Spiritum fidei & illi habebant, qui venturum in carne Christum pronuntiãrunt, quem etiam illi, qui eum venisse nunciãrunt; sacramenta esse potuerunt pro temporum diversitate diversa; ad unitatem tamen ejusdem fidei concordissimè recurrentia. Scriptum est in Actibus Apostolorum, loquente Apostolo Petro: *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum supra collum discipulorum, quod neq; patres nostri neq; nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Jesu credimus nos salvos fieri;*

* Al. creaturam:

* Al. malè g.

Ad Rom. 9. 11, 12.

710.

3. sent. dist. 25. A.

1. ad Tim. 2. 5.

2. ad Cor. 4. 15.

Psal. 115. 1. (116, 10.)

Act. 15. 10.

quem.